PROGRAMM

des

Friedrich-Wilhelms-Gymnasiums

zu

COTTBUS.

Schuljahr 1863–64.

Inhalt:

COTTBUS.
Druck von G. W. Tornow.
1864.

De Euripidis versibus anapaesticis.

I.

Euripides metra pro argumenti ratione eligit. anapaestorum duplex usus, inde orta diversitas systematum legitimorum et liberorum. legitimum systema anapaesticum constat ex dimetris, de monometris quid sit statuendum. de Iph. Aul. 1–48. 117–163. Phoen. 103–192. nonnulla.

Euripides cum hoc seculo praecipue exercuerit exerceatque homines doctos inferiore, quam vocant arte critica non minus quam altiore, neque defuerint, qui praestantiam et artem poetae defendendam susciperent, scilicet longe praestare Euripidem Sophocli et Aeschylo, dummodo purgaretur ab interpolationibus: hodie, opinor, experti falsam utramque nimium laudantium et nimium vituperantium sententiam omnes fere redierunt ad verum, quod medium tenet, Aristotelis iudicium: *Εὐριπίδης εἰ καὶ τὰ ἄλλα μὴ εὖ οἰκονομεῖ, ἀλλὰ τραγικώτατός γε τῶν ποιητῶν φαίνεται* (po. 13). oeconomia igitur totius fabulae superatur ab Aeschylo et a Sophocle superans utrumque pingendo hominum mores et ingenia. et fecit homines, ut debebat in tragoedia, versantes in calamitatibus neque meliores, quia sic non metu misericordiaque moveremur sed indigne ferremus, neque peiores, nam iure punitorum miseret neminem, sed, quod medium est, spectatorum ipsorum similes. haec videntur comprobari eis, quae diligentissime et sagacissime docti homines observaverunt de dicendi genere et de metris Euripideis. etenim egregie artem cum ingenuitate cotidiani sermonis coniungentem admirati sunt et imitati certatim optimi Graecorum et Romanorum scriptores, quamvis trimetrorum severitatem eam ipsam ob caussam relaxaverit paullulum. quid quod oeconomia fabularum neglecta conspicitur etiam in eo, quod maxime exprobrant Euripidi, quod chori carmina breviora neglegenterque fere, ut volunt quidam, composita parum conferunt ad rem. oeconomiam enim nisi ex tota fabula non cognosci qui contenderit, eum commonefecisse sufficiet Aeschyleorum et Sophocleorum carminum, quae ad ipsas quae secuturae sunt rerum commutationes praeparant quasi animos auditorum. sed quod perperam nec tamen, ut videtur, inscius detraxit canticis choricis curae et diligentiae, id totum addidit accuratissime depingendis personarum ingeniis et moribus ita, ut excoleret magis magisque monodias et commos. nam monodias apud Aeschylum Sophoclemque fere nullas habes, commos Aeschylus ut chorica carmina faciebat satis magnos, Sophocles, qui minuit chorica, in prioribus fabulis minimos habet, maiores in posterioribus videtur composuisse ad exempla Euripidis, quem iam diximus chori carmina magis etiam quam Sophoclem attenuavisse auxisse commos. sic fere dixerim consilio formam et metra poematis, metris et forma consilium fingi. quid multa? Euripidem propter metrorum neglegentiam castigatum ab hominibus doctis, qui Aristophanis iudicium cupidius arripuissent, Euripidem dico metra maxima cum cura elegisse et argumento apta reddidisse quamvis diligenter, ut in huius quoque poetae fabulis insit concinnitas *εἴδους* quasi et *ὕλης*, qua excellunt et delectant summorum poetarum Graecorum carmina*). hoc in monodiis et hyporchematis

*) Cf. Bernhardy h. l. g. 2. 2. p. 355. die berühmtesten Dichter der alten Komödie sind nicht müde geworden, die Paradoxe, den Mangel an Abrundung und das Missverhältniss zwischen Form und Gehalt mit schneidendem Witz und scharfem Urtheil aufzudecken. p. 375. so wurden seine Rhythmen im Fortgang der Ochlokratie schlaff und oberflächlich, die Versmasse süsslich, tonlos und gebrochen.

nonnullis observaverunt F. V. Fritzschius de mon. Eur. et Rossbach. et Westphal. de metr., idem duobus exemplis probare conabor. primum autem pauca dicam de omnium anapaesticorum versuum natura, quos praecipue excoluit Euripides et novo modo saepissime adhibuit. et coniungi hoc numero egregie quietem quandam animi cum corporis motu et actione quoniam generis paris est et thesi arsis subicitur bene monuerunt homines docti; ut igitur inventus videbatur et natus ad moderandos gradus eorum qui cum precibus accedebant ad pugnam et ad aram sic in fabulis tragicorum poetarum optime adhibebatur a choro in orchestram prodeunte et actore aliquo in scenam prodeunte vel abeunte et ubicunque transitus faciendus erat a cantico ad trimetros et cum finis imponebatur fabulae cum sententia aliqua graviore et cum quiete. hinc ab actoribus ipsis etiam adhibitum iam Aeschylus hunc numerum pro duplici, quam diximus, natura usurpavit etiam cum stantes loquebantur cum tragico aliquo tumore et qui excederet trimetrorum simplicitatem. sic Pers. v. 906 sqq. Xerxes prodit recitans legitimum systema anapaesticum, respondet chorus obviam regi fortasse gradiens eodem numero nisi quod suspensus animo et solacium exspectans finem non facit paroemiaco. et in his primum quasi initium invenit poeta paroemiacos alias etiam quam in fine systematis et sententiae ponendi. nam, quem desiderant aures, exitum addit altera persona cum desperatione et fracto animo: ὅδ' ἐγὼ οἰοῖ αἰακτός, et quae suorum ipsa verborum iustum finem non habeat: ut posito in initio orationis semper paroemiaco mira res eveniat esse sine catalexi systemata nec sine catalexi. redeo illuc: versus inde a 931. non videntur ab eunte Xerxe recitari et sine dubio legitimi anapaesti a Prometheo vinculis ad saxum ligato sine motu corporis recitantur, Prom. v. 88—100, 120—27 et in fine fabulae. systemata choricis canticis interposita utrum hoc loco nominanda sint, an comitata sint eos, qui post saltationem in suos locos redirent, parum liquet. quod igitur dixi coniungi hoc numero animi quietem cum corporis actione cum sic inmutatum esset ut animi modo motum quendam significaret, sic Dionysius Halic. de comp. verb. c. 17 πάθος praedicat anapaestorum, mutari etiam versus coepti sunt: neglegi caesura et diaeresis, paroemiaci saepius poni, quoniam non imitanda erat graduum continuitas non rupta illa in legitimis systematis nisi cum subsistebat persona, id quod hiatu et ancipiti syllaba et monometro indicabatur, h. e. silentio aliquo intermisso. de ancipiti syllaba et de hiatu viderunt Car. Lachmannus tr. gr. syst. p. 27 O. Mueller. in app. ad ed. Eum. p. 30. simile statuendum mihi videtur de monometris; nam cum exspectetur dimeter, post monometrum pausam fieri consentaneum est, eaque optime fiebat antecedente aut sequente primario aliquo verbo. paroemiacus finem significabat eundi ut pes ad pedem attraheretur. nam dipodia duos gradus vel utriusque pedis positionem significari cum docuerit Boeckhius in ed. Antigonae (cf. Rossb. et Westph. de metr.), nec temere ancipitem syllabam et hiatum admissos esse cum demonstraverint Bentleius et Lachmannus, haec probabilitatem quandam videntur habere. constare autem legitima anapaestica systemata ex dimetris neque esse singulos versus compositos ex multis dipodiis, effici mihi videtur cum glyconeorum dochmiacorum aliorum systematnm comparatione tum quod constat esse in fine *dimetros* catalecticos. si est diaeresis ante paroemiacum neque versus finis, afferas mihi quaeso *caesurae* exemplum, quae in dimetris satis multa congessit Gaisford.| ad Heph. uno Comici loco vesp. v. 753. qui tres continuas dipodias exhibet nihil probari iam dixit G. Hermannus. orta sine dubio est omnis haec disceptatio propter momometros interpositos, de quibus modo explicavimus.

Exemplum anapaestorum non prorsus liberorum sed fere legitimorum est initium Iphigeniae Aulidensis.

Agamemnonis animi sollicitudo egregie picta est quodammodo ab Euripide primum tempore: nam eadem qua scripsit literas nocte senem mittit Argos. tum quod cum sene colloquentem facit, cuius simplicitate et quiete animi optime elucet regis anxietas, cum mendaciis, quibus effugere conatur deorum voluntatem, ipsum se fere vinciat. denique metro. nam ut est nunc maestus et meditabundus, memor nunc celeritate opus esse oditque rei infaustae expositionem, ita nunc paroemiacis loquitur spondiacis, anapaesticis nunc dimetris adhibito dactylo. paroemiaco non spondiaco orationem quater finit; v. 11., 27., tum ut epistulae finis significetur isque vi fere factus admisso dactylo ante anapaestum,

παιδὸς δαίσομεν ὑμεναίους,

ut subaudias: caussam scribere nolo, sis contenta Clytaemnestra. erunt fortasse, qui has argutias dicent*) in Euripide ut minus diligente in metris. sed in his certe anapaestis diligentissimus mihi videtur unum quemque versum aptissime ad ea, quae dicenda erant, conformavisse. quartus paroemiacus non spondiacus finit hos versus colloquiumque. spondiacis paroemiacis Agamemno binis ter utitur maiore semper cum dolore: primum dubitans an bene cessurus sit alter, quem excogitavit, dolus; tum v. 131. ubi, postquam aegre ferens senis rei ignorantiam verbis quam planissimis respondere coepit, filiae nuptiarum mentionem facientem maeror iterum opprimit. iam totam calamitatem tum demum perspectam cum senex elocutus sit, lamentatur

οἴμοι γνώμας ἐξέσταν,
αἰαῖ, πίπτω δ' εἰς ἄταν.

sed ut fit agendum esse intellegens servum statim abire iubet et festinare: itaque cunctationem perniciosam ante oculos ponens spondeorum tarditate, celeritatem Iphigeniae Aulidem proficiscentis anapaestis et dactylis, summo opere sine dubio commovebat audientes pausa subito facta post monometrum *Δαναῶν πρὸς ναῦς*. senex autem quietus, hoc quidem fiet a me, respondet.

Caesura vel diaeresis potius legitima in tribus huius colloquii dimetris neglegitur, quorum nescio an duo corrigendi sint. v. 140. *μή νυν μήτ' ἀλσώδεις ἵζου* sine dubio paroemiacus restituendus est delendo *μήτ'*, quod inseruit librarius propter *μήθ'* quod sequitur. v. 148. fortasse mutato verborum ordine prorsus sanandus est: *σαῖς γὰρ πομπαῖς ἀντήσας 'νιν*. tertius est 151., ubi Hermannus *τάδε* ut *νιν* in eo quem modo adscripsimus fortasse delendum esse ait ut a metricis insertum. utrumque nollem factum. non videbat vir egregius, quam male cum sententia hic congruerent paroemiaci spondiaci. sed hic versus excusari videtur ea quae est post *τάδε* caesura, mutata etiam persona.

Et haec quidem de argumento et de metro anapaestico. initio anapaestorum, qui sequuntur iambos, quaestio obvia est, num ita, ut ab Euripide profecta sunt, haec a nobis legantur. iamborum in fine Agamemno dicit servo: tu nunc hasce literas Argos fer; quid contineant, tibi aperiam, fidus enim es erga uxorem domumque meam. iam in libris mss. sequuntur verba

πέμπω σοι πρὸς ταῖς πρόσθεν
δέλτοις ὦ Λήδας ἔρνος,
λέγε καὶ σήμαιν' ἵνα καὶ γλώσσῃ
σύντονα τοῖς σοῖς γράμμασιν αὐδῶ.
μὴ στέλλειν κ. τ. λ.

adparet *μή στέλλειν* coniungendum esse cum indicativo *πέμπω* et rumpi Agamemnonis orationem servi duobus dimetris. eam ob caussam Reiskius et Marklandus hos duos versus in initio ponunt huius colloquii. hic si versuum ordo esset in codd., nemo, opinor, haereret fatendumque sic scribere potuisse Euripidem. sed qui non quid scribi potuerit sed quid scriptum sit eruere vult, is necesse est defendat quacunque potest ratione codd. scripturam. ac primum quidem demonstratur senis adhortatione Agamemnonem tunc obticuisse paullum; loquentem enim herum interrumpere nec servo nec seni convenit. eam in Agamemnonis verbis pausam apte poni post *ἔρνος* et antequam id ipsum de quo sollicitus est edicat, concedet qui ante oculos rem sibi posuerit. nescio an excusaturi transitum ab iambis ad anapaestos mutaverint docti illi homines versuum ordinem. sed qui discesserit ab iambis importune intrusis illis in anapaestos, ei non in mentem veniet mutare versuum ordinem. simili modo erravit Hermannus in eis quae scripsit in editione ad v. 157. *ἦν γάρ νιν πόμπαις κτἑ.* aperte inquit eo refertur, quod monuerat senem Agamemno, ne eum

*) Sic Rossbach. et Westphal. metr. p. 125. liberos anapaestos prorsus abhorrere dicunt ab huius colloquii argumento. contra Boeckhius, gr. tr. pr., de initio tragoediae ad altam noctem, inquit, ad Sirii candorem .... consonat caelesti concentu anapaestorum numerus. Dindorfius in ed. Eur. v. 3., l. p. 444. vellem caussas addidisset cur vss. 115—163. videantur aliam manum prodere quam 1—48.

praeteriret plaustrum quo Aulidem veheretur Iphigenia. praeterea inepte iuberetur abire senex et tum demum adderetur e. q. s. nec poterat id per *ἦν γὰρ* addi, sed dicendum fuisset *ἦν δέ*. itaque hunc versum post illa *ἐπὶ Κυκλώπων ἱεὶς θυμέλας* collocavi. haec quidem logica est optima sed importuno tempore adhibita. namque Agamemno postquam tradidit literas, quid continerent edocuit, monuit ut caveret ne fugeret se Iphigenia Aulidem profiscens, quibuscunque opus est, ea sibi videtur dixisse. senex autem *ἔσται τάδε* respondens neque abiens cum videatur alia quaedam exspectare, Agamemno morae et multorum verborum inpatiens abi, inquit; hoc enim, opinor, tenes, si inveneris, domum reduces. idem vidit Firnhaberus nisi quod *γάρ* coniunctionem neque explicavit neque defendit contra Hermannum.

Post breve silentium igitur et rogatus a sene pergens Agamemno ne mittas, inquit, filiam tuam ad Euboeae, quae portum praebet, alam, Aulidem a ventis tutam. quaeritur in his, quid sibi velit *πτέρυξ Εὐβοίας*; sitne ad *Αὖλιν* adpositio an aliam significet regionem. quarum alteram sententiarum amplectitur Marklandus significari putans Chalcidem et Aulidem; utramque urbem nominari, quia vicinae essent et angustissima Euripi parte seiunctae ponteque coniunctae, ut haec sine illa commemorari fere non possit. inserit igitur coniunctionem scribens *Καὖλιν ἀκλύσταν* et Lobeckius *Αὖλιν τε κλυτάν* vitans crasin insolentiorem. ala videtur Marklando neque Aulis Euboeae dici posse neque Chalcis Boeotiae, Euripo nimirum interfluente. redit ad geographos haec quaestio, possitne coniunctione inserta sanari locus. et quoniam nusquam apud veteres Chalcidem Aulidemque simul nominatas inveni, ne Euripidem quidem sic dixisse puto, praesertim ut Aulidem primariam secundo loco diceret. volgatae patrocinium suscipientes Bremi. et Matthiae. alam dici posse Aulidem Euboeae contendunt, exemplo usi quod per Marklandi definitionem ne exercitus quidem alae dici possent. recte, ut mihi videtur. quamquam audacter sane locutus est poeta, ut iure quispiam interrogaverit, cur Euboeae nec Boeotiae ala vocetur Aulis. respondeo: quia longius ab Argis abesse videtur Aulis cum Euboeae pars dicitur quam si Boeotiae, idcirco sic loquentem et sic scribentem Clytemnestrae poeta facit Agamemnonem. *πτέρυγα* id dici quod tuetur et hic quidem naves a tempestatibus non addidissem nisi Firnhaberus iudicasset Aulidem non dici Euboeae sed Euboeam Aulidis praesidium.

εἰς τὰς ἄλλας ὥρας γὰρ δή, in his articulum quem omittunt codd. Par. A. Flor. 1. 2. recte viderunt Marklandus Matthiaeus Hermannus omitti non posse. de proximo enim anno dici evincit *εἰς* praepositio, cum *εἰς τὰς ὥρας* proximo anno formula fere dicendi sit, alias autem *εἰς* in *ἐν* mutandum esset.

V. 125. non credo necessariam esse Elmsleii emendationem mutantis *ἐπαίρει* praesens in *ἐπαρεῖ* futurum. amant enim Graeci in hac interrogatione *πῶς οὐ* indicativum praesentis. quia opinor sic rem certissimam et ante oculos quasi ponere volunt. exemplum exstat in Aeschyli Prometheo v. 589! Io: *κλύεις φθέγμα τᾶς βούκερω παρθένου;* Pr.: *πῶς δ' οὐ κλύω τῆς οἰστροδινήτου κόρης τῆς Ἰναχείας;* alterum in Eurip. Or. v. 1025. *οὐ σῖγ' ἀφεῖσα τοὺς γυναικείους γόους στέρξεις τὰ κρανθέντ';* — El.: *καὶ πῶς σιωπῶ;* interpunctionem retineo editionum Stiblinianae et Hermannianae. hoc quoque timendum est, i. e, praeter filiae mortem, bene dicit senex, qui fictas esse has nuptias nondum intellexit. eumque animadvertere ante verbum *σήμαιν'* Agamemnonis aliam sententiam ex corporis aliquo motu, recte adnotavit Firnhaberus. pergit rex, nomen non rem praebens Achilles nihil scit de nuptiis neque quid agamus neque filiam ei me addixisse in matrimonium dandam. sicine, senex inquit deae filio filiam tuam uxorem dictam victimam ducebas Danais? nam *οὕτω* trium codd. recte praeferunt Marklandus et Hartungus ei quod est in uno Par. C. *ὅς τῷ τῆς θεᾶς; τῷ* ante *θεᾶς* a librario dormitante in *τῆς* mutatum in omnes qui supersunt quatuor codd. venit, et is qui Par. C. scripsit resarciens casum *ὅς τῷ* correxit. sed id quod revera corruptum erat emendavit Marklandus eo quod sanum erat retento. veniamus ad locum difficillimum. in codd. haec sequuntur:

ἦν γάρ νιν πόμπαις ἀντήσαις
πάλιν ἐξόρμα σεις τοὺς χαλινοὺς
ἐπὶ Κυκλώπων ἱεὶς θυμέλας.

pro *ἀντήσαις* A. et B. exhibent *ἀντήσῃς*, quod receperunt editores. et medium quidem versum cor-

ruptum esse arguit metrum, cum in χαλινούς penultima pro brevi posita sit. egregie emendavit Blomfieldius πάλιν ἐξόρμα, σεῖε χαλινούς; nam habenas concutere ad incitandos equos ut omnium est qui equis utuntur hominum, ita dictum esse a Graecis confirmant loci Soph. El. 702. ἡνίας χεροῖν ἔσεισαν et Ant. 109. Herm. κινήσασα χαλινῷ, qui tollunt Matthiaei dubitationem. futurum, ut videtur Firnhabero, necessarium hic non est; γάρ coniunctio nihil significat nisi his verbis addi quae ex illis, quae antecedunt, sequuntur, nec futurum non imperativum est, ut utroque poetae licuerit uti. sed videas totam sententiam. primus statim versus maxime vexavit interpretes. Barnesius vertit: nam si eius comitatui occurras; eodemque modo Hermannus ut νιν πόμπαις sit pro τοῖς πέμπουσί νιν: quia ἀντάω obviam venire accusativum non adsciscit; illud autem durum est. Hartungus mutat νιν in νῦν, iam Latinorum, pergentis in oratione; ut πόμπαι item sint comites, de Iphigenia ne verbo quidem addito. equidem sic suspicor olim scriptum fuisse σαῖς γάρ νιν πόμπαις, ἀντήσας, πάλιν ἐξόρμα, σεῖε χαλινούς: tuo enim eam cum comitatu, ubi inveneris, retro cito duc, concute frena. ipsum senem iubet cum Iphigenia Argos proficisci, praesertim cum Aulidem rediens deprehendi possit et movere suspicionem Achaeis de Agamemnonis mutato consilio.

V. 155. λευκαίνει τόδε φῶς ἤδη λάμπουσ' ἠώς vertendum est album efficit, non reddit, ut saepius loquuntur poetae. de albore caeli, quem in illis regionibus mane digniorem esse spectatu dicunt quam ruborem, comparari possunt Catulli verba ***sed ubi oris aurei Sol radiantibus oculis lustravit aethera album*** et multi nostrae aetatis Itali poetae.

Sed qui hoc exemplo motus concesserit in systematis anapaesticis non temere positos esse paroemiacos neque spondeos et dactylos pro anapaestis et hinc qui suspicatus erit etiam tripodias de industria adhiberi, dubitaverit tamen is fortasse, num ratione semper in monodiis et commis Euripideis metra mutentur, dochmiis inserantur dactyli trochaei alia. hoc revera factum esse et Euripidem singula metra certo quodam ordine, qui conveniret animi humani condicionibus, disposita quasi habuisse, altero loco Phoen. 103 sqq. probaturus mihi videor ut nulla dubitatio relinquatur. in hac enim τειχοσκοπίᾳ senex tranquillus et de urbis salute securus trimetris iambicis loquitur, Antigonae trepidatio pingitur dochmiacis versibus; dactylicis et iambicis et creticis numeris utitur interdum cum preces et vota facit, trepidationem cum coercet paullisper, trimetri etiam inseruntur iambici. inest igitur quasi climax quaedam metrorum in his versibus a trepidatione summa ad quietem cotidiani sermonis, in qua medium tenent fere anapaesti. ad trimetrorum tranquillitatem linguam cogere interdum videtur puella. facillime ad meam sententiam perductum iri credo, qui v. 150 sqq. accuratius consideraverit.

ΠΑΙ. ὅδ' ἐστὶ Παρθενοπαῖος, Ἀταλάντης γόνος.
ΑΝ. ἀλλά νιν ἁ κατ' ὄρη μετὰ ματέρος
Ἄρτεμις ἱεμένα τόξοις δαμάσασ' ὀλέσειεν,
ὃς ἐπ' ἐμὰν πόλιν ἔβα πέρσων.
ΠΑΙ. εἴη τάδ', ὦ παῖ· σὺν δίκῃ δ' ἥκουσι γῆν,
ὃ καὶ δέδοικα μὴ σκοπῶσ' ὀρθῶς θεοί.
ΑΝ. ποῦ δ' ὃς ἐμοὶ μιᾶς ἐγένετ' ἐκ ματρὸς
πολυπόνῳ μοίρᾳ;
ὦ φίλτατ', εἰπέ, ποῦ 'στι Πολυνείκης, γέρον.

senex modeste semper regiae virginis angorem et perturbationem compescens v. 154 sint quidem haec, respondet, i. e. idem voveo, ut tamen subaudias: mitte has preces; sunt enim illi quoque iusti homines. qua sententia fratris subito commonefacta tremens et, quibus modo diras imprecata erat, metuens de fratre interrogat dochmiis; cum autem taceat senex indignabundus paullum, tranquillitatem simulans blanditur ὦ φίλτατ' κτἑ. retinetque hoc metrum et dicendi genus donec v. 163. fratris desiderio in anapaestos iterum relabitur et fratrem ipsum nominans in dochmios, quibus inserit senis memor trimetrum. sunt ceterum hi dochmii laetissimi summum gaudium et fratris praesentiam sibi fingentis puellae plane diversi a reliquis

huius colloquii. trimetros autem contendo omnes ab Antigona pronuntiari senis causa. recteque Geelius in editione h. f. Hermanni v. 122. transpositione refutata eminere ait in hac pulchra scena Antigonae trepidationem et senis morositatem, rectius fortasse dixisset animi tranquillitatem. simpliciter enim ibi servus respondens, illum, quem videat, esse militum ducem et *δέσποινα* verbo compellans v. 123. monet Antigonam, ut dignitatis suae memor nimium timorem vincat: itaque haec sobrie quasi, quamvis morae impatiens, (sic recte Geelius) senis trimetrum conficit: *τίς πόθεν γεγώς;* et optime v. 131. emergens e terrore et perturbatione animi ad senem se convertens trimetris *λοχαγόν* illum, quem non debebant expellere homines docti, repetens *nonne illum,* inquit, *vides? militum ducem esse probe scio, sed mirum in modum armatus est, quis hic est?*

τὸν δ'ἐξαμείβοντ' οὐχ ὁρᾷς Δίρκης ὕδωρ
λοχαγὸν ἄλλον; ἄλλος ὅδε τευχέων τρόπος.
τίς δ' ἐστὶν οὗτος;

ἄλλος prius post *λοχαγὸν* mutavi in *ἄλλον;* verissime autem Hamakerus apud Geelium unius Antigonae haec verba a v. 127—133. esse contendit et receperunt in editiones Nauck. et Kirchhoffius. quid quod eadem voce post paroemiacum et dimetrum creticum, cum paucis verbis aberraverit a trimetrorum tranquillitate, ipsa se monet quodammodo v. 148.

145. *τίς δ' οὗτος ἀμφὶ μνῆμα τὸ Ζήθου περᾷ*
καταβόστρυχος, ὄμμασι γοργὸς
εἰσιδεῖν νεανίας
λοχαγός; ὡς ὄχλος νιν ὑστέρῳ ποδὶ
πάνοπλος ἀμφέπει.

hunc enim sane magna armatorum militum caterva sequitur, addere videtur non sine sale; videlicet hunc esse ducem adparet: nisi cum Hartungo mavis, quia propter iuventutem vix imperatori similis sit. obtemperare servi moribus et blandiri Antigonam docet etiam v. 141. ubi laudat accuratam eius armorum et ducum cognitionem. morositas autem aliqua senis fortasse inest in v. 170. cum puellae summo desiderio fratres opponit sobria verba: num oblita es Polynicem huc venturum esse, ut satisfacere possis desiderio tuo? denique recte me sentire de horum trimetrorum vi neque audire, ut aiunt, herbae crescentis sonum iudicaturum spero Hamakerum, cum v. 127—133. Antigonae tribuerit comparans 145—149. et 161—169. et, qui eum secuti sunt, Geel. Nauck. Kirchhoffium. hac enim comparatione intellegitur post dochmios Antigonam, cum ad senem redit, redire ad trimetros; qui subiunguntur unus et duo dochmii invitae excidere videntur.

Similia passim licet observare apud Euripidem et iam observavisse videtur Seidlerus ad Iphig. Taur. v. 847. sqq. itaque non videtur dubitandum esse quin dactyli anapaesti trochaei cretici etiam consilio et arte positi sint; sed difficilior investigatu est horum ratio, ut placeat coniecturas modo quasdam proferre neque pro certis vendere quae non satis certa sint. et primum quidem anxium et fere fractum puellae animum referre crediderim fines versuum ischyorrhogicos quos vocant. dochmios longe plurimos notandum ita esse comparatos, ut media cretici syllaba producatur, quod non factum in sublimi sermone, qui est de fratre:

165. *πρὸς ἐμὸν ὁμογενέτορα, περὶ δ' ὠλένας*
δέρᾳ φιλτάτᾳ βάλοιμι χρόνῳ
φυγάδα μέλεον. ὡς
ὅπλοισι χρυσέοισιν ἐκπρεπής, γέρον,
ἑῴοις ὅμοια φλεγέθων βολαῖς ἁλίου.

parem fere vim atque ischyorrhogici spondiaci dactylicorum versuum fines videntur habere ut 136: non enim hic cum Seidlero et Hermanno post dactylos dochmios statuendos esse crediderim, quos falso ab hominibus doctis poni saepissime arguit sententia, nam ne in prorsus tranquillis quidem carminibus hunc

numerum repudiaverunt, ut Schoemannus in scholiis ad Ionem editis cum invitatione ad natalicia regis Friderici Gu. IV. Gryph. 1860 anapaestis Ionis templum purgantis inserit dochmios v. 147. 148. versu 153. cretici etiam finiuntur spondeo

ὅς ἐπ ἐμὰν πόλιν ἔβα πέρσων

quem non delendum esse cum A. Nauckio in stud. Eur. docent exitus versuum 184. 192., quibus Nemesin Iovem Dianam in vota vocat.

184. μεγαλαγορίαν ὑπεράνορα κοιμίζεις.

anapaestico dimetro additur spondeus; non est, ut Dindorfius vult, metra Aesch. etc. p. 275. dactylico-dochmiacus. quod genus diversum est ab ischyorrhogicis, quas Hermannus dixit, versuum clausulis et praecipue adhibitum in precibus ut Ion. 1060. πλὴν τῶν εὐγενετᾶν Ἐρεχθειδᾶν et Sophocl. Ant. 839. ξυμμάρτυρας ὔμμ' ἐπικτῶμαι.

192. Ἄρτεμι δουλοσύναν τλαίην.

est dactylica tripodia catal. cum spondeo.

Iam vero manum de tabula. ut sint in his coniecturis, quae tibi non probentur, modo concedas metra Euripidem elegisse et electa tractavisse pro argumenti ratione.

II.

Prosodiaco spondiaco catalectico tragici poetae utuntur in canticis et in monodiis et commis, in saltatoriis carminibus Sophocles et Euripides tamquam formula qua dei vocentur. de Ion. 859—952.

Quam igitur Boeckhius monstravit viam et praeivit in constituendis Pindaricis metris, ea pergendum est etiam in Euripide: numquam metra restituenda sunt, quae non adiuvent et illustrent argumentum sed impediant et obscurent. eiusdem egregii viri Antigonae editionem et praesertim quae dixit de Bacchico carmine cum saltatione coniuncto: πολυώνυμε, Καδμείας νύμφας ἄγαλμα, adeo adamavi ob easdem fere caussas ut iterum iterumque reverterim illuc tamquam ad amussim et exemplar tragicos recte legendi. cantatum autem illud fuisse cum saltatione ut credas, iuberis conferre carminum quae leguntur Ai. vss. 693. sqq. et Trach. 205. sqq. sententias numeros verba. et sententias quidem easdem et ipsa verba nonnulla, praecipue quibus dei vocantur Bacchus Pan Paean vel Apollo, eadem exhibere haec tria carmina satis exposuit Boeckhius. in numeris etiam monstravit quae adiuvare videantur saltationem; sed haec cum in multis carminibus insint non saltatoriis, quaerenti mihi, ecquid proprium esset huius generis, succurrere videbantur longae syllabae coacervatae aliquotiens, ut in his Δηοῦς ἐν κόλποις et ὦ Βάκχευ Βακχᾶν et ἰὼ ἰὼ Πὰν Πάν et ἰὼ Παιὰν Παιάν. at carminum, quae saltabantur maiore cum velocitate propria longarum multitudo? suis locis, ita prorsus existimo. namque cum in honorem Bacchi Panos et Paeanis vel Apollinis, quorum similitudinem satis illustraverunt homines docti, saltarent festis diebus, hos ipsos vocari ut praesentes essent, de qua re cf. Lobeckium ad Ai. v. 700., προφάνηθι et similibus et formula quasi vocis et numeri consentaneum est. has sollemnes voces cum pronuntiabant, numeri et modorum et saltationis celeritas ad severam quandam tarditatem restringebatur*).

*) Aristides Quintilianus de musica II. 98. τῶν δ' ἐν ἴσῳ λόγῳ οἱ μὲν διὰ βραχειῶν γενόμενοι μόνων, τάχιστοι καὶ θερμότεροι κατεσταλμένοι· οἱ δὲ ἀναμὶξ, ἐπίκοινοι... διὰ τοῦτο τοὺς μὲν βραχεῖς ἐν ταῖς πυρρίχαις χρησίμους ὁρῶμεν. τοὺς δὲ ἀναμὶξ, ἐν ταῖς μέσαις ὀρχήσεσι· τοὺς δὲ μηκίστους ἐν τοῖς ἱεροῖς ὕμνοις, οἷς ἐχρῶντο παρεκτεταμένοις, τήν τε περὶ ταῦτα διατριβὴν μίαν καὶ φιλοχωρίαν ἐνδεικνύμενοι, τήν τε αὐτῶν διάνοιαν ἰσότητι καὶ μήκει τῶν χρόνων ἐς κοσμιότητα καθιστάντες ὡς ταύτην οὖσαν ὑγίειαν ψυχῆς. τοιγάρτοι κἂν τοῖς τῶν σφυγμῶν κινήσεσιν οἱ διὰ τοιούτων χρόνων τὰς συστολὰς ταῖς διαστολαῖς ἀνταποδιδόντες ὑγιεινότατοι.

itaque *Δηοῦς ἐν κόλποις* et similia chorus per longas syllabas pronuntiat quia edicit proxima eis, quae edici non fas est. ceteri numeri horum carminum sunt satis commoti et ipsae bases in Antig. carmine singulos saltus significare videntur, cf. Boeckh. l. l. sed quinas longas syllabas in eodem carmine recte mihi percutere videtur Boeckhius — —́ — —́ —, ut sint prosodiaci spondiaci catalectici primum quia tripodia omnino antiquissimis temporibus usos esse Graecos in precibus maximam probabilitatem habet; cf. Rossb. et Westph. de metr. III. p. 4. deinde quia in aliis saltatoriis carminibus chori tragici hi versus saepissime inveniuntur inter glyconeos polyschematistos, ut videantur pherecratei mensuram aequare ⏑⏑ —́ ⏑⏑⏑ —́ ⏑⏑, id quod perinde est, quoniam nunc non quaero genus numeri utrum par sit an impar, sed quae sit indoles et natura horum versuum et quomodo percutiendi sint. tertio etiam in carminibus non saltatoriis gravissima verba et preces quinis longis syllabis dicuntur. denique Euripides saepe eis utitur in monodiis et commis *anapaesticis*.

Quamvis reperiatur interdum prosodiacus spondiacus *acatalectus*, cum gravissimae res commemorantur vel dei vocantur, tamen propter multidudinem *catalecticorum* nescio an ei sint corrupti vel aliter metiendi. sic in Trachiniarum et Aiacis, quos adscripsi, versibus suspicatus sum *ἰώ* interiectione in *ὦ* mutata legendum esse *ἰὼ ὦ Πὰν Πάν, ὦ Παιὰν Παιάν,* ut catalectici sint. de aliis locis, qui plures etiam longas syllabas exhibent ut de molossis, quos Dindorfius metr. pag. 96. sibi visus est deprehendere, quaerere nihil attinet; sed ubi dixero de carminibus saltatoriis et de precibus redeam ad Euripidis anapaestos.

Primus eum numerum ex deorum cultu in tragica cantica introduxisse videtur Aeschylus, Suppl. vv. 890., 893., 899., 901. ubi Danaides in summo periculo versantes Tellurem et Iovem sic vocant:

μᾶ Γᾶ μᾶ Γᾶ, βοᾶν
φοβερὸν ἀπότρεπε,
ὦ βᾶ Γᾶς παῖ Ζεῦ.

quae prisca vocabula precandi formulam significare vel maxime credebam probabile; *βοᾶν* ceterum monosyllabum est. idem in Septem c. Th. 770. chorum de *ἀραῖς* sic facit canentem:

προπρύμνα δ' ἐκβολὰν φέρει
ἀνδρῶν ἀλφηστᾶν
ὄλβος ἄγαν παχυνθείς.

et in antistr. *τίν' ἀνδρῶν γὰρ τόσονδ' ἐθαύμασαν*
θεοὶ καὶ ξυνέστιοι
πόλεος ὁ πολύβοτος τ' αἰὼν βροτῶν,
ὅσον τότ' Οἰδίπουν τίον,
τὰν ἁρπαξάνδραν
κῆρ' ἀφελόντα χώρας;

Sphinx viros rapiens bene videtur hoc numero dici tamquam malum infandum, nam summarum calamitatum vel mentionem facientes veteribus videbantur mala omina proferre. Choephororum maesta pompa

πρόστερνοι στολμοί et *μέμφεσθαι τοὺς γᾶς*

habet: scissis vestibus plangens pectora, nullo sacrificio deos placatum iri praesagiens. in his praeter argumentum versus, qui antecedunt iambici et qui sequuntur choriambici cum anacrusi, suadent anapaesticam mensuram.

Eodem fere modo res sese habet in mystico, quod in Euripidis Helena legitur, carmine v. 1301. sqq., in quo Cybele Ceres Proserpina celebrantur. Mater deum se proripuit per saltus per flumina per mare

πόθῳ τᾶς ἀποιχομένας
ἀρρήτου κούρας,

Proserpinae ut scholiastes dicit; *ἄρρητον* vocari monet Barnesius vel propter mysteria vel ne Ceres ex raptae filiae recordatione doleret. in antistropha haec sunt:

ῥίπτει δ' ἐν πένθει
πέτρινα κατὰ δρία πολυνιφέα.

Similes versus sunt Sophoclis in Oed. R. 464. sqq. ed. Herm.

Τίς, ὅντιν' ἁ θεσπιέπεια Δελφὶς εἶπε πέτρα
ἄρρητ' ἀρρήτων
τελέσαντα φοινίαισι χερσίν;

quos sequuntur tres prosodiaci vel glyconei polyschematisti ⏑̲ ⏑̲ ⏑⏑ — ⏑ | —, duo dimetri anapaestici unus prosodiacus cat. eiusdem mensurae et ithyphallicus. eiusdem fabulae carmen 1086. sqq. in quo non est pros. spond. cat. saltatorium esse non mihi persuasit Boeckhius praesertim cum chorus ipse dicat 1090. *crastino* die sese saltaturum esse. in Sophoclis Philocteta hymno ad Somnum restituendos esse hos versus docere videtur scholiastes, qui tertium strophae versum sic exhibet: εὐαίων ὦναξ, ut omnes libri mss. veteres. Tricliniani: εὐαίων εὐαίων ἄναξ, quod Hermannus recepit mutato ἄναξ in ὦναξ. sed nihil erat in scriptura veterum librorum sollicitandum, nisi quod ex eo qui antecedit versu ἡμῖν infertum propter antistrophae corruptelam eiciendum esset. deberi autem videtur ἡμῖν interpretibus; sic enim scholiastes: εὐαίων ὦναξ. εὐμενής. καλῶς ἄγων ἡμῖν τὸν αἰῶνα: ad quae recte Hermannus: non optat chorus, inquit, ut *sibi* faustus ad Philoctetam accedat Somnus, sed ut ipsi sit Philoctetae lenis et placidus. in antistropha autem omnia optime procedunt sine ὧν δ' ἂν ἀμείβῃ interpretatione αὖθις voculae. sic igitur chorus:

ed. Herm. 827. εὐαὴς ἔλθοις — εὐαίων ὦναξ
843. αὖθις βαιάν μοι — βαιὰν ὦ τέκνον — πέμπε λόγων φάμαν· κτἕ.

iterum exiguam mihi exiguam fili mitte sermonum vocem, i. e. si iterum locuturus es.

Gravius est quod in saltatoriis carminibus numquam videntur deesse hi versus. addenda censui tribus Sophocleis quae supra commemoravi exemplis haec Euripidea: Ion. 452. sqq. Iph. Aul. 1043. sqq. quamquam tristiorem finem habent quam ut ad saltationes referenda videantur. in Ione postquam Creusa narravit Apollinis facinus Xuthusque retulit responsum, abiturum se Delphis cum filio, chorus Minerva et Diana, ut dominae sint propitiae vocatis beatos dicit parentes qui liberis non careant, commemorans in fine epodi feminae ab Appolline vitiatae feris expositum infantem. propter eum finem abhorrere hoc carmen a saltatione non dixerim, quia chorus nondum novit hanc feminam. esse autem saltatorium certissime demonstrant vss. 495. sqq. ed. Nauck.

ἵνα χοροὺς στείβουσι ποδοῖν
Ἀγραύλου κόραι τρίγονοι
στάδια χλοερὰ πρὸ Παλλάδος
ναῶν συρίγγων
ὑπ αἰόλας ἰαχᾶς
ὕμνων ὅταν αὐλίοις
συρίζῃς ὦ Πάν.

in Ighigenia Aulid. cum per Achillem totum de mactanda filia Agamemnonis consilium comperisset Clytaemnestra promisissetque Achilles suo auxilio servatum iri Iphigeniam chorus cum saltatione et cantu laudat Achillis parentes opponens felicissimis Pelei Thetidisque nuptiis falsas Iphigeniae nuptias et caedem. qui tristis carminis finis mitigatur eo quod modo Achilles promisit auxilium. saltare chorum evincunt ipsius verba fere nihil dicentis quam tibias citharas saltationes et hi potissimum versus:

1041. Πιερίδες ἐν δαιτὶ θεῶν — 1064. μάντις ὁ Φοῖβος ὁ μουσᾶν
χρυσεοσάνδαλον ἴχνος — εἰδὼς γεννάσεις
ἐν γᾷ κρούουσαι. — Χείρων ἐξωνόμασεν.

versus antistrophicos, quos adscripsi cum non possim neque explicare neque sanare, hoc mihi videtur certum esse γεννάσεις substantivum esse; solent enim *unam* sententiam exhibere hi versus. sine dubio

denique huc referendum est carmen, quod est in Bacchis, v. 1153. sic percutio primum versum ◡́◡◡ — ⨯́ — ⏑́ ◡ — *ἀναχορεύσωμεν Βάκχιον*... v. 1160. *Βάκχαι Καδμεῖαι*

Et haec si est revera eorum quos modo contuli versuum propinquitas, licet adponere quae videntur eam sequi. antiquissimae precandi formulae numero fuerunt tripodiae (cf. Rossb. et Westph. metr. III. de dact.) et cum ternis passibus coniunctae, idemque motus principium fuit saltationum. ut vix futuri sint multi quibus obstent veterum etymologiae et quod oraculum quoque ex pullorum pastu apud Romanos vocabatur tripudium, ne ternum numerum inesse credant in tripudii nomine. omnino fuisse pedum motus eorum qui ad aras et ad simulacra deorum adpropinquabant temperatos certis quibusdam legibus testari videntur versus Eurip. Heracl. 781. sqq.

ἀνεμόεντι δ' ἐπ ὄχθῳ
ὀλολύγματα παννυχίοις
ὑπὸ παρθένων ἰαχεῖ ποδῶν κρότοισιν.

in ventoso colle sonant ululatus cum plausu pedum virgineorum per noctem. nam *ὀλολυγμόν* esse sacralem ritum constat tum per Homerum tum per Herodotum 4, 181. et Aeschylus Sept. 267.

ἔπειτα σὺ
ὀλολυγμὸν ἱρὸν εὐμενῆ παιάνισον,
Ἑλληνικὸν νόμισμα θυστάδος βοῆς,
θάρσος φίλοις, λύουσα πολεμίων φόβον.

et Euripides Orest. 1134.

νῦν δ' ὑπὲρ ἁπάσης Ἑλλάδος δώσει δίκην,
ὧν πατέρας ἔκτειν' ὧν δ' ἀπώλεσεν τέκνα
νύμφας τ' ἔθηκεν ὀρφανὰς ξυναόρων.
ὀλολυγμὸς ἔσται πῦρ τ' ἀνάψουσιν θεοῖς
σοὶ πολλὰ κἀμοὶ κέδν' ἀρώμενοι τυχεῖν
κακῆς γυναικὸς οὕνεχ' αἷμ' ἐπράξαμεν.

cum *ὀλολυγμῷ* autem pedum plausum coniunctum fuisse distinctis verbis dixit poeta. idem Troad. 545. sqq.

Λίβυς τε λωτὸς ἐκτύπει
Φρύγιά τε μέλεα παρθένοι δ'
ἀέριον ἀνὰ κρότον ποδῶν
βοὰν ἔμελπον εὔφρον'.

et 551. *ἐγὼ δὲ τὰν ὀρεστέραν*
τότ' ἀμφὶ μέλαθρα παρθένον
Διὸς κόραν ἐμελπόμαν χοροῖσι.

virgines edebant ad plausum pedum laetum clamorem caelum petentem; nam *βοὰν μέλπειν* non est carmen canere sed *ὀλολυγμόν* edere, ut v. 999. eiusdem fabulae *βοὴν ἀνωλόλυξας*. coniuncta *ὀλολυγμόν* et *κρότον* commemoravisse videtur Plutarchus mor. p. 56. e. perstringens eos qui virtutum nominibus nuncupent vitia illis similia; ea laus, inquit, quae vitiis adsuefacit dum pro virtutibus habentur, et quae verecundiam peccantibus aufert, ea Siculos adflixit dum Dionysii et Phalaridis crudelitatem odium in malos et iustitiam adpellant, *οὗτος (ἔπαινος) Αἴγυπτον ἀπώλεσε τὴν Πτολεμαίου θηλύτητα καὶ θεοληψίαν καὶ ὀλολυγμοὺς καὶ κρίνων καὶ τυμπάνων ἐγχαράξεις εὐσέβειαν ὀνομάζων καὶ θεῶν λατρείαν. κρίνων* muto in *κρότους*, hoc enim vocabulum cum plerumque significaret plausum manuum eorum, qui laudant et adsentiuntur, non concoctum a librariis facile labem contraxit, in nonnullis etiam codd. abest; Dindorfius in thesauro l. Gr. *ὀλολυγμοὺς κρουμάτων καὶ τ. ἑ.* scripsit. hoc igitur dicit Plutarchus: eidem vitio falso laudandi obnoxii fuerunt Aegyptii cum Ptolemaei mollitiem et superstitionem et furorem, nam deos venerabatur cum *ὀλολυγμοῖς* et *κρότοις* et *τυμπάνοις*, vocabant pietatem erga deos.

Itaque chorus in canticis et saltationibus hos versus dicens sine dubio tribus lentis passibus ad Bacchi aram adpropinquabat, ut post tertium passum minorem prioribus propter catalexin subsisteret

paullum (cf. c. I.)*). eadem anapaesticae catalexis ratione optime videtur explicari lepida illa et variis modis ab hominibus doctis tentata narratiuncula de Tyrtaeo claudo ludi magistro: carmina docuit Spartanos, nam Athenis carmina ediscebant in primis pueri apud ludi magistros, et claudicare i. e. post tertium quemque gressum subsistere, ut ordine optimo et animo sedato, si Thucydidem audis, ad hostem accederent ablegata omni perturbatione. incedere autem Lacedaemonios ad numerum anapaesticum testantur multi; Thuc. 5. 70. *βραδέως* dicit. Athen. 14., 630. f. *καὶ αὐτοὶ δ' οἱ Λάκωνες ἐν τοῖς πολέμοις τὰ Τυρταίου ποιήματα ἀπομνημονεύοντες ἔρρυθμον κίνησιν ποιοῦνται.* auctor etiam est Cicero Tuscul. disp. 2. 16. init. ubi Spartiatas ad modum et ad tibiam procedere dicit; nam qui adhuc hunc locum adtigerunt eorum optimum videtur praestitisse M. Seyffertus scribens: quorum procedit *iter* ad modum. quamquam ne hoc quidem satis placet, quia non in itinere canebantur *ἐμβατήρια* sed paullo ante ipsum concursum; omissio autem certe constituenda est post *procedit*.

Atque omnium prosodiacorum antiquissimum esse spondiacum catalecticum confirmare videtur Plutarchus. is enim cum dicat Olympum, auctorem prosodiacorum composuisse nomum in Minervam, in quo *ἀνάπειραν* paeonum epibatorum sequerentur trochaei (de mus. 33.), idemque Archilochi esse *τὴν τῶν ἰαμβείων πρὸς τὸν ἐπιβατὸν παίωνα ἔντασιν*, Glaucus autem Rheginus, qui longe praestabat Plutarcho musicae artis peritia, cum Archilochi nullos esse dixerit paeones: verisimilius mihi videtur statui confusos esse a Plutarcho paeones epibatos cum prosodiacis eiusdem mensurae, quam, quod Rossbach. coniecit in ind. schol. Vrat. aest. 1857 p. 23., ea Archilochea carmina subdita fuisse. quinae enim longae syllabae essentne paeones an prosodiaci diiudicari non poterat nisi inspectis ipsius poetae musicis siglis. Olympum vero prosodiacorum inventorem multi scriptores adfirmant. Clemens Al. Strom. I. pag. 363. eundem *κρουμάτων* inventorem dicit, quod vocabulum idem fortasse valet interdum ac *κρότος*, nam *κρούειν* verbum semper fere adhibent veteres poetae de saltationibus loquentes. sed res difficilior est investigatu propter eam, quam *κροῦμα* postea accepit significationem ut apud Lucianum Nigr. 15. et apud Athenaeum Dionem Chrysostomum alios *Φοινίκων* praecipue *κρούματα* sunt lascivae cantilenae. in his Aristophanis av. vv. 1377. ed. Meinek.

ἀσπαζόμεσθα φιλύρινον Κινησίαν.
τί δεῦρο πόδα σὺ κυλλὸν ἀνὰ κύκλον κυκλεῖς;

scholiastes docet claudum dici Cinesiae pedem, quod dithyrambici saepe dixerint *ποδὶ λευκῷ*, *ποδὶ κούφῳ* alia id genus. equidem vereor ne adludat Comicus ad hos, de quibus disputamus versus, et pedum, quas illustravimus, claudicationes; praesertim cum *ἀνὰ κύκλον κυκλεῖς* sine dubio petat cyclios choros. dithyramborum autem recentiorum musicam et numeros Euripidem in monodiis praecipue imitatum esse satis constat (cf. F. V. Fritzsch. de mon. Eur. Rostoch. 1842. p. 14. Rossb. et Westph. de metr. III. p. 437.).

In anapaesticis systematis dissipatos prosodiacos omnes huc congerere longum erat. itaque satius duximus unum exemplum, de quo nulla videbatur dubitatio esse explicare uberius. quibus Creusa accusat Apollinem versibus Ion. 867—927. ed. Kirchhoff., in eis complures anapaestici metri quodammodo gradus agnoscas.

---

*) Simili motu nescio an adierint Beli aram sacerdotes, quos legis Regum I. 18., 26. corpus cultris scindentes claudicavisse ad altare: nam claudicandi verbo significari cum irrisione a Iudaeo scriptore sacralem ritum adparet. cum sit alienum ab hac scriptione ulterius quaerere de hac re, dignos tamen putavi qui hic adpelleatur Nonni versus Dionys. 40., 392. sqq. ed. Koechly. propter Beli cum Apolline coniunctionem.

Βῆλος ἐπ' Εὐφρήταο, Λίβυς κεκλημένος Ἄμμων,
Ἆπις ἔφυς Νειλῷος, Ἄραψ Κρόνος, Ἀσσύριος Ζεύς.
399 *εἴτε Σάραπις ἔφυς, Αἰγύπτιος ἀνέφελος Ζεύς,*
εἰ Κρόνος, εἰ Φαέθων πολυώνυμος, εἴτε σὺ Μίθρης,
Ἥλιος Βαβυλῶνος, ἐν Ἑλλάδι Δελφὸς Ἀπόλλων.

867. ὦ ψυχά, πῶς σιγάσω;
πῶς δὲ σκοτίας ἀναφήνω
εὐνάς, αἰδοῦς δ' ἀπολειφθῶ;

post hos enim tres paroemiacos non iam dubitans*) a deo vim sibi inlatam esse legitimis anapaestis sibi ipsi certum suum consilium proponit. non dubito quin Creusa hos versus dicens ulterius secesserit ut diras et convicia fundens prorsus sola sibi videatur esse. iam antea dum versus 807—865. dicebantur eam secessisse crediderim a paedagogo et choro propter doloris vehementiam, quam significavit verbis οἷον οἷον ἄλγος ἔπαθον φίλαι, v. 807. paedagogus et ipse cum choro si non prorsus relinquebat scenam usque ad versum fere 920., nonnullis certe passibus recedebat a domina sentiens eam velle solam relinqui. tum liberis ut par est propter increscentem doloris vim anapaestis accusans deum se ipsam simul commonefacere videtur concubitus partus necis filii. denique duobus prosodiacis spond. catal. vocato deo τὸν Λατοῦς αὐδῶ, ὀμφὰν ὃς κληροῖς maledicta cumulat. differentiam horum liberorum et legitimorum anapaestorum sentientes iam antiquitus stropham antistropham epodum sibi visi sunt reperire. sed recte F. V. Fritzschius l. l. p. 15. hoc studium improbavit in plerisque monodiis et commis Euripideis. quod igitur versui 894. adscriptum est in codice Par. G. στροφή 904. ἀντιστρ. 913. ἐπῳδός non debebat recipere A. Nauckius in editionem signatis omissionibus in initio strophae et in fine antistrophae; sed illud recte videtur sensisse quicunque haec adscripsit inde a v. 895. fere cantare coepisse Creusam, id quod vel inde elucet, quod hi versus prorsus dorica dialecto scripti sunt, cum in versibus 867—888. haec sola videantur dorismi vestigia: ψυχά v. 867. et 885. et 881. ἀκτὰν. 889. autem fortasse iam canendi initium est:

ὦ τᾶς ἑπταφθόγγου μέλπων
κιθάρας ἐνοπάν, ἅτ' ἀγραύλοις
κέρασιν ἐν ἀψύχοις ἀχεῖ
μουσᾶν ὕμνους εὐαχήτους.
σοὶ μομφάν, ὦ Λατοῦς παῖ,
πρὸς τάνδ' αὐγὰν αὐδάσω.

αἰθέρος enim ante αὐδάσω in cod. Florentino plut. XXXII. n. 2. circulo circumducto inclusum, quia metro obest, eiciendum videtur potius quam cum Nauckio scribendum αὐδῶ. αἰθέρος ad αὐγάν facillime potuit addi a sciolo aliquo et paroemiacus ante eam quae sequitur narrationem aptissimus est nisi fallor. iamque infaustae horae recordatio versus trepidos tardis vocibus admixtos efficit:

κρόκεα πέταλα φάρεσιν ἔδρεπον,
ἵνα με λέχεσι μέλεα μέλεος

quos Seidlerus et Dindorfius ad Iphig. Taur. 130. dimetros anapaesticos esse contendunt, ut tertia quaeque brevis syllaba producatur ut in exclamationibus saepius; v. Seidlerus de verss. dochm. p. 91. 80. n. contra dicit Lachmannus de choricis syst. tr. p. 27. non negaverim pingi interdum a tragicis poetis horrorem quendam diaeresibus factis post singulos pedes eumque augeri posse etiam pauco post singulos pedes intermisso silentio. ipse enim Sophocles diaereses de industria nonnumquam videtur admisisse ut Oedip. Col. 1232. φόνοι, στάσεις, ἔρις, μάχαι, alias. sed finge tibi, obsecro, flores sinu puellae collectos sic dici vel cantari

κρόκεα Λ πέταλα Λ φάρεσιν Λ ἔδρεπον Λ.

quantumvis diffidens auribus meis in diiudicandis vocabulorum graecorum sonis, sintne suaves ad aures an asperi, hoc certe male videtur et prave sonare ad cuiusvis hominis aures. ne sublato quidem post quemque pedem silentio congruere cum sensu horum versuum diaereses persuaserunt mihi Hermannus, qui trochaicos in edit. Iphig. Taur. ad v. 123., neque Rossb. et Westph. qui iambicos versus esse dicunt.

Sed quos Dindorfius congessit eiusdem generis versus, eorum primus mihi videtur adversari huic rationi; est autem Iphig. Taur. 197.:

*) indicans

φόνος ἐπὶ φόνῳ ἄχεά τ' ἄχεσιν.

num enim sic videntur pronunciata esse verba:

φόνος ἐ-Λ πὶ φόνῳ Λ ἄχεά Λ τ' ἄχεσιν Λ,

an quisquam credit hic non ἐπὶ sed ἠπὶ vel εἰπὶ pronunciatum esse? tertium enim non datur: unius morae syllaba neque consonarum literarum pondere aucta neque cum silentio coniuncta longam aequare plane nequit. itaque sine ulla dubitatione sic lego hos versus:

◡◡◡́◡◡ ◡◡◡́◡ ◡◡ ◡́◡,

quamquam sic numeros ineptissimos evadere dicit Dindorfius multumque dissimiles versibus qualis est Iph. Taur. 230. σύγγονον, ὃν ἔλιπον ἐπιμαστίδιον, ut tripodias anapaesticas acatalectas vel si quis malit dimetros, quibus desit pes, ut sequatur trepidationem silentium quattuor morarum. proceleusmaticos esse in his versibus evincit etiam quem adfert Dind. Iph. Taur. 232. ἔτι βρέφος ἔτι νέον ἔτι θάλος, in quo pausae secarent βρέ-φος et ἔ-τι vocabula. ceterum quod A. Nauckius in studiis Euripideis, I. Petrop. 1859 p. 4. vix credi posse dicit quemquam diligentem poetam dactylum admisisse ante anapaestum in systematis anapaesticis, exempla eius licentiae omnia videri operarum neglegentiae tribuenda esse, vereor ut possint emendari tot loci librorum auctoritate muniti, nisi quis per vim tractare verba poetae animum induxerit, ut idem l. l. II. Petrop. 1862 p. 191. mutari posse credidit Troad. 101. μεταβαλλομένου δαίμονος ἀνέχου in μετ. δαίμ. ἀνσχοῦ. maxime autem tueri videtur hanc licentiam Aristophanis Euripidearum monodiarum imitatio, ut av. 328. sqq. ed. Mein. ad quem locum cf. Dindorfium metr. Aesch. etc. p. 355. si vero anapaestica systemata *legitima* dicit neque libera, explicavisse mihi videor sensim fieri transitum ac fere sine sensu apud Euripidem a legitimis anapaestis ad liberos, ut in Iphigeniae Aul. quod interpretatus sum initio, versus priores 48 legitimi cum sint, reliqui iam declinant ad liberorum rationem. et, cuius verba tractans haec adtulit, ipsius Hecubae versus λάβετε φέρετε πέμπετ' ἀείρετέ μου vix videtur modo probabili mutari posse neque mutatus est a Nauckio l. l. cum igitur Rossbach. et Westphal. de metr. III. p. 97. demonstraverint diaereses Euripidem in legitimis anap. system. in primis religiose servasse neque umquam sibi indulsisse caesuras, cavendum est ne ad eam severitatem exigas versus *fere* liberos. solutionum autem eidem congesserunt exempla eiusdem l. III. p. 113.

Eas ob caussas et quod prosodiacos *spondiacos* catalecticos antecedit prosodiacus catalecticus huius mensurae

◡◡ ◡́◡ — —́ — σὺ δὲ κιθάρᾳ κλάζεις (912. ed. Kirchh.)

totum mihi hoc carmen non adeo liberum videtur, ut aliorum metrorum ordines contineat. θεὸς ὁμευνέτας 902. *dochmium* suspicatus sum non Euripidi deberi sed nescio cui miranti Graecorum poetarum commentum, quamquam facili emendatione lucraris numerum prosodiacum: θεῖος ὁμευνήτας; nam εὐνήτας memoriae proditum ab Hesychio et a Brunckio metro anapaestico monstrante restitutum Euripidi Med. 161. plerique editores receperunt. item prosodiaci sunt ἄγες ἀναιδείᾳ 913. Κύπριδι χάριν πράσσων, qui referunt mulierculae trepidationem, cum deum non in vota vocet sed accuset et diris agat. 913. vero et 914.:

τὸν Λατοῦς αὐδῶ
ὀμφὰν ὃς κλῃροῖς

(ὃς in libris et editionibus perperam ante ὀμφὰν positum est) quia formulas continent quibus vocetur Apollo et cogatur audire, ut post etiam dixit εἰς οὖς αὐδὰν καρύξω v. 916., maxime alienos esse ab indole dochmiaci numeri quis est quin sentiat? contra clamat etiam ὠή exclamatio praemissa, quibus dei vocari solent numeris, est enim fere: heus tu, audias, neque doloris significatio.

Haec exempla si recte interpretatus sum, confido dochmiorum languidissime per quinas longas progredientium etiam apud Euripidem numerum evasurum esse minimum.

III.

De Iphig. Taur. vss. 123. sqq. dochmios tragici poetae non coniunxerunt cum anapaestis nisi cum cyclicis.

Terentius olim excusavit apud spectatores summorum poetarum exemplo quae ipse nova ausus erat in comoedia his versibus

qui eum hunc accusant Naevium Plautum Ennium
accusant, quos hic noster auctores habet.

et consentaneum est, qui nova atque inaudita palam eloqui volunt, eos libenter adferre similia conatos, si non spectatoribus et iudicibus at sibimet ipsis certe, summos et doctissimos homines. itaque mihi, cum persuasum haberem ita rem sese habere quam modo exposui, quotiens singula perlustrabam, remotis vero caussis de re summa dubitanti maximam semper attulit voluptatem et confirmationem G. Hermanni, at quanto opere meriti de re metrica et de tragicis Graecis, iam supra laudata ad Iphig. Taur. v. 126. adnotatio.

Εὐφαμεῖτ', ὦ
πόντου δισσὰς συγχωρούσας
πέτρας Εὐξείνου ναίοντες
ὦ παῖ τᾶς Λατοῦς,
Δίκτυνν' οὐρεία
πρὸς σὰν αὐλὰν εὐστύλων
ναῶν χρυσήρεις θριγκοὺς
πόδα παρθένιον ὅσιον ὁσίας
κληδούχου δούλα πέμπω.

versus enim 126. et 127. cum Seidlerus resectis additamentis, ut ait, sic scripsisset: *παῖ Λατοῦς Δίκτυνν' οὐρεία:* Hermannus, in his, inquit, duobus versiculis secutus sum descriptionem Aldinae, quacum conspirare puto codices... tum quod in ea ut *gravior ordiendae adpellationi deae aptior oratio est,* tum quod inter se respondere hi duo versus videntur sicut versus 192. et 214. videtur Hermannus aptiorem orationem dixisse aptius metrum, cum oratio vix mutetur scripto *παῖ Λατοῦς* pro *ὦ παῖ τᾶς Λατοῦς,* et quidem anapaesticum, hoc enim uno totius commi loco *in ordienda adpellatione* deae si voluisset dochmios, sine dubio dixisset. iam non ita dubius erat animus eius cum scribebat haec in ed. h. f. quae prodiit a. 1833. quam cum in elementis d. m. p. 385. scribebat in Hecubae initio videri inesse *anapaesticos monometros hypercatalecticos nisi essent dochmiaci.* similia eis quae exposui dicturum fuisse hunc egregium virum confido si comparare voluisset eiusdem generis versus.

Silentium autem in illis versibus cum primum imperet sive Iphigenia sive chorus sacra quaedam praeparari ab Iphigenia sentiens, cui imperet quaesivit adhuc praeter Seidlerum nemo. alios enim in scena versari praeter eos, qui ab ipso poeta nominantur, ex his verbis videtur colligendum esse, quamquam exstat eius rei non aliud vestigium in fabulis tragicorum. Seidlerus quidem, qui defendit contra Tyrwhittum et Musgravium codicum auctoritatem, in quibus Iphigeniae est primordium horum anapaestorum, ab altera parte Iphigeniam ab altera chorum dixit templi atrium intrasse et *εὐφαμεῖτε* vocem sacerdoti magis convenire quam ancillae, *terrae incolas adpellantem* proxime in *animo habuisse ipsas ancillas, praeter quas nemo adfuisset;* pari modo Ionem templi ministros adlocutum esse v. 94. sqq. sed in his totam difficultatem exposuit magis quam profligavit. Ionis praecipue verba prorsus aliter dicta esse nemo non videt.

ἀλλ' ὦ Φοίβου Δελφοὶ θέραπες,
τᾶς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
βαίνετε δίνας, καθαραῖς δὲ δρόσοις

ἀφυδρανάμενοι στείχετε ναούς.
στόμα τ' εὔφημον φρουρεῖτ' ἀγαθόν,
φήμας τ' ἀγαθὰς
τοῖς ἐθέλουσιν μαντεύεσθαι
γλώσσης ἰδίας ἀποφαίνειν.

is enim adlocutus est famulos et nominavit, Iphigenia non modo non nominavit ancillas sed etiam masculino genere usa alios certe magis adloquitur quam illas. quod autem sequitur κληδούχου δούλα sic semper intellexi ut sit *Dianae* ministra; plane enim iam refutavit Matthiaeum Bothius ad h. l. contendentem nisi a serioribus non vocari deas κληδούχους, et Iphigeniae sese servas dicere chori feminas durius mihi videtur, quamquam scholiastes θεραπαινίδας τῆς Ἰφ. dicit. at necessario tribuuntur hi versus choro, quia debet is ad templum deae accedens eam prius revereri quam verba faciat ad Iphigeniam. versum 130. ed. Herm. mutando verborum ordine sanandum esse constat. ut Marklando et Lachmanno tr. gr. s. p. 27. ita ne mihi quidem durum videretur hunc versum recitari tamquam paroemiacum, modo sententia congrueret, ob candemque caussam Bergkii coniecturam, qua σᾶς addito hunc numerum restituit ⏑⏑ –́ ⏑⏑ ⏑́⏑ ⏑⏑ ⏑́⏑ — — reiciendam esse arbitror; scribendum quod iam Seidlerus proposuerat: ὁσίας ὅσιον πόδα παρθένιον. breves enim syllabas hic non posse produci propter adlocutionem recte dixit Lachmannus ibidem. prodit autem chorus in hoc primordio non tam maestitiam, nullam enim passus est nuper calamitatem, sed seriam animi ad res divinas conversi condicionem, quamquam ut Ion in initio cognominis fabulae suam quoque tristem sortem significat in fine systematis. tum Iphigeniae advenienti obviam graditur cum systemate legitimo, nisi quod ἐλθόντος κλεινᾷ σὺν κώπᾳ versus caret caesura. in his ἄγαγες iteratum tamdiu fucum fecisse interpretibus miror: talia enim, si actores fudissent in fabulis Euripideis, non opus erat Aristophanes ut exagitaret et exaggeraret in comoediis, ut Thesm. 1065. sqq. nam quod Koechlyus in ed. h. f. Berol. 1863 repetitionem eiusdem verbi crebram illam in lyricis partibus fabularum posteriorum Euripidis hic significare dicit perturbationem quandam chori, quod subito sit ad templum vocatus, id probare nequeo. in eo qui sequitur versu cum perspicuitatis caussa addidisset interpres τοῦ τᾶς, alter iteravit ἄγαγες metri causa: utroque deleto maxime adiuveris poetam. idem video sensisse Bergkium in Museo Rhen. XVII. p. 595. cum autem τᾶς modo et unum ἄγαγες delevisset, constituit prosodiacum spondiacum catalecticum hic minime ferendum

κλεινᾷ σὺν κώπᾳ.

In lamentis, quae sequuntur, Iphigeniae vix videntur secerni posse spuria a genuinis et adquiescendum in Hermanni lectione. ἒ ἒ autem, quod legitur ante ἀλύροις ἐλέγοις, vereor ut ab Euripide profectum sit. eae enim exclamationes cum saepius apud tragicos legerentur eaque vox quater etiam iterata apud Aeschylum, ut Septem 150. 154. 155. et cum falso opinarentur ἔλεγος ducendum esse ab ἒ ἒ λέγειν, quam multorum sine dubio opinionem retulit scriptor Etymologici Magni p. 326. 49., Byzantinus nescio quis noni vel decimi seculi easdem hic adscribendas esse putavit. nusquam autem videntur ἒ ἒ et ἔλεγοι coniuncta legi, si ab hoc loco discesseris. ἔλεγος vero vocabulum cum lugubribus ipsis istis modis esse Asiaticae originis doctissimus quisque credit hodie. illam vero etymologiam ab utraque parte falsam esse tum aliis tum eo probatur, quod ἒ ἒ voces saepissime pro longis sunt. itaque proprie longae fuerint, ea autem lege, qua vocalis ante vocalem corripitur et prior et utraque interdum brevis est. namque ἒ vel ἔ, ut plerumque veteres mss. libri exhibent, si quid video, est nota pro diphthongo ει aut αι. Koppius enim palaeogr. III. p. 472. sqq. καὶ saepissime κε scriptum inveniri ostendit et κάππα litteram cum ε uno signo coniunctam pro καὶ non tam esse scribendi compendium dixit quam corruptam scribendi rationem; item in sepulcralibus monumentis κεῖται legi κειτε et κετε. hinc ἒ vel ἔ suspicor pariter fere pronunciatum esse atque hei Latinorum. ἒ autem brevis vocalis fuerit sane gementium et occulte suspirantium, eorum certe numquam, qui dolorem clamore edere volebant. sed viderint me doctiores: hoc loco ἒ ἒ, quoniam cum ἐλέγοις coniuncta praeterea dixit nemo, tollendum et οἴκτοισιν librorum scriptura revocanda est. sic habes paroemiacos

ἐν κηδείοις οἴκτοισιν
αἵ μοι συμβαίνουσ' ἆται,

quorum uterque ultimam syllabam correptam habet, nam post ἆται legitur σύγγονον. admitti in liberis systematis etiam in fine dimetrorum acatalectorum interdum ancipitem syllabam et hiatum notum est. in Ionis tamen, quam antea tractavi, monodia *unius* versus ultima brevis

κοῦρον, τὸν φρίκᾳ ματρός
εἰς εὐνὰν βάλλω τὰν σάν

producenda videtur mutato verborum ordine in eo qui sequitur βάλλω τὰν σὰν εἰς εὐνάν. in hoc autem commo eadem licentia poeta aliquotiens usus est, v. 125. ed. Nauck. 148., hiatus est 131. 153. 166. 169. 207. 219. quorum versuum sex sunt paroemiaci.

V. 155. participium vel adiectivum, quo ζωᾶς referendum fuisset excidisse recte dicit Koechlyus, quoniam pentapodia anapaestica in his systematis esse non potest. praeter dimetros semper illos per spondeos incedentes crebri sunt in eis quae canebantur lugubres modi paroemiacorum. legitimo autem quod sequitur systemate ad fratrem verba utrum gradiens fecerit Iphigenia necne, non ausim diiudicare. Koechlyus, dum orationem dicat ad fratris manes, libationem facere an recte dicat dubito propterea quod hoc est legitimum systema; malim credere fieri illam aut cum silentio post v. 177. ed. Nauck. aut choro accinente:

ἀντιψάλμους ᾠδὰς ὕμνον τ'
Ἀσιήταν σοι βάρβαρον ἰαχὰν
δεσποίνᾳ γ' ἐξαυδάσω,
τὰν ἐν θρήνοισιν μοῦσαν,
νέκυσι μελομέναν τὰν ἐν μολπαῖς
Ἅιδας ὑμνεῖ δίχα παιάνων.
οἴμοι τῶν Ἀτρειδᾶν οἴκων
ἔρρει φῶς σκήπτρων οἴμοι,
οἴμοι πατρῴων οἴκων.

quod chorus Asiaticum suum carmen dicit, de ea re credo Seidlerum et Hermannum falsos esse. hic enim contra illum: neque oblitus esse, inquit, putandus est Euripides Graecas esse has mulieres, neque voluisse eas existimari per diuturniorem in Asia commorationem adsuetas iam barbaris modis, quae Seidleri coniectura est: sed ut Taurorum sacra obeuntes etiam lingua et cantu Taurorum uti finguntur. id tragicus de more, quoniam non licebat alia quam Graeca lingua uti, verbis significavit. rectum vidit Koechlyus: quia Phrygio modo canebantur et cum tibia Phrygia, cuius gravior erat sonus addito κώδωνι, cornu Berecyntium dixit Horatius carm. I., 18., cf. etiam epod. 9. 5.

sonante mixtum tibiis carmen lyra
hac dorium illis barbarum.

in eodem versu sitne ἰαχάν in ἀχάν mutandum quaeritur. doctis enim Elmsleii ad Heracl. 752. et Nauckii ad Medeae 149. adnotationibus effectum est, ut ἰαχή substantivi paenultimam apud tragicos semper produci constet. sic igitur hunc locum metiri nequis: — ◡◡ ◡◡ — et recipienda videtur Elmsleii emendatio ἀχάν scribentis. atqui vereor ne ἠχή vel dorice ἀχά quo *sonum* significabant diversa sit ab ἰαχή hominum voce carente quidem illa verbis, quae certum quendam sensum exprimerent, sed tamen significante laetitiam dolorem similia. cui interpretationi non adversatur quod etiam musicorum instrumentorum sonus ἰαχή vocatur ut αὐλῶν a Plutarcho mor. p. 1104. e. nam eis etiam homines produnt animi sententias, ut tibiarum carmina et μέλη αὐλῶν dicuntur cum nemo verba accinat. cum sit igitur ἰαχεῖν ubi aliae etiam res dicuntur, ad eos sanandos fortasse aptam esse concesserim Elmsleii coniecturam, qua ἀχεῖν restituendum sit, in illis vero negabo. namque ἰῶτα literam saepissime praepositam esse verbis quae inciperent a vocali aut abiectam ab eisdem verbis, cum οὖλος exstet et ἴουλος similia, cum docuerit Lobeckius ad Ai. 700., tamen videntur, ut in omnibus linguis sic in Graeca etiam, ea vocabula,

proprie eandem vim cum haberent, usurpata esse non prorsus eodem sensu. *ἰαχή* igitur et *ἰαχεῖν* et *ἠχή* et *ἠχεῖν* vel *ἄχα* et *ἀχεῖν* ut sint eaedem voces cum amisissent hae digamma et *ἰῶτα* et ut sint a librariis interdum mutata inter se, a poetis dico diverso sensu adhibita esse. quid igitur fiet? num violentiore remedio opus est? non credo, sed quod Bentleius suspicabatur *ἰῶτα* coalescere nonnumquam cum sequente vocali in diphthongum, quamquam eam opinionem erroneam dixit vir sagacissimi ingenii Meinekius in ed. Oed. Col. Ber. 1863. p. 316., id nescio an hic factum sit: non quo consonam litteram *ἰῶτα* fuisse censeam, sed ut brevior sonus *α* longo praemissus sit eadem ratione qua *εα οα* monosyllaba fuerunt. interiectionibus in primis, cum haec licentia reiceretur, saepe videtur vis facta esse, *ἰώ ἰή ἰατταταῖ* similibus. *ἰαχά* autem substantivum bisyllabum fuisse cum maxime videtur comprobari Medeae versu 150. ed. Kirchhoff. *ἰαχὰν οἵαν ἁ δύστανος* dimetro anap. ubi miro consensu omnes libri tuentur eam scripturam.

Quae sequuntur versum 185. usque ad finem commi Iphigeniae tribuerunt libri, Hermannus et Elmsleius proxima sequi sentientes quae chorus pollicitus est lamenta, haec usque ad v. 195. continuaverunt choro. sine dubio quod illud eis bonum exordium videbatur *ἐξ ἀρχᾶς μοι δυσδαίμων.* monometer autem *ἐπὶ σοὶ δαίμων*, minime mutilus ille, pausa addita praeclare videtur Iphigeniae convenire, ut de fratre intellegendus sit: calamitas per domum gradiens ultimum iam qui restat Orestem petit. itaque Koechlyus 192. *δινευούσαις ἵπποισιν* versui praescripsit nomen Iphigeniae, rectius fortasse Bergkius in Mus. Rhen. XVII. vers. 189. ed. Nauck. omissionem autem post *μόχθος δ' ἐκ μόχθων ᾄσσει* iam signavit in ed. Kirchhoffius ortam fortasse eo modo, quem Bergkius excogitavit, ut *ᾄσσει* in eius etiam versus fine fuerit qui antecedebat *δινευούσαις κτἕ.* a totius domus fortuna ad suam ipsius sortem transiens: sic, inquit, a principio di infesti mihi fuerunt, et peior etiam facta est mea sors Oreste mortuo; ut cum querella de Oreste finiatur cantus. itaque post *ἐπὶ σοὶ δαίμων* ut credas cum Bergkio chorum cum solacio adfatum esse Iphigeniam nulla videtur caussa esse.

Sed addendum restat aliquid ad stabilienda ea quae proposui in altero capite. contra dochmios enim ne videar iniustum quasi bellum suscepisse abreptus nimio prosodiacorum amore et praeiudicata opinione, cavendum est. complures enim dochmii cum saepissime inveniantur cum anapaestis coniuncti praesertim apud Euripidem, unum dochmium ex anapaestico Creusae carmine cur eiecerim, quaesiverit fortasse quispiam. fateor praeterea quod ab argumento illo alienus esse videretur is numerus et praeterea quod dochmii naturam poscere crederem ut aliquotiens repetatur, nam sermonis continuitas nimio dolore aut nimio gaudio rupta non subito solet recuperari, praeterea fateor in ipsis anapaesticis versibus caussam mihi desideratam esse, cur illic in dochmiacum numerum delapsam esse Creusam arbitrarer.

Tranquillitatem quandam referre anapaesticum metrum, ut paris generis, idemque *πάθος* quoddam supra commemoratum est, quamquam *πάθος* proprium est metrorum duplicis et sescuplicis generis. ad dochmiacum autem concitatissimum certe et turbatissimum numerum ab anapaestis transitum faciebat Euripides per *cyclios anapaestos,* cuius mensurae in illo cantico nullum est vestigium. etenim cyclii anapaesti cum pares sint mensura iambis h. e. ternarum morarum, iambum interdum admittunt pro anapaesto. aut enim primi pedis anacrusis una mora conficitur, quos plerumque dicunt cyclios anapaestos vel aeolicos (cf. Tricha p. 21.), aut unus vel plures iambi anapaestis subiunguntur, quos vocare solent anapaesto-logaoedos (cf. Aristid. Quintil. p. 53.): in utrisque autem ordinibus anapaestos iamborum mensuram aequare consentiunt veteres et nostrae aetatis de re metrica scriptores. qui igitur *quattuor moras* continent anapaesti numquam cum dochmiis coniuncti sunt a tragicis.

Dochmii cum cycliis anapaestis mixti sunt in Phoen. 103. sqq. ibidem 324. inter dochmios positus hanc mensuram habet ◡◡ –́ ◡◡ — — –́ ◡ —

ὅθεν ἐμάν τε λευκόχροα κείρομαι
δακρυόεσσ' ἀνεῖσα πένθει κόμαν,
ἄπεπλος φαρέων λευκῶν, τέκνον,
δυσορφναία δ' ἀμφὶ τρύχη τάδε κτἕ.

Andromachae 860. sqq. cf.

τίνος ἀγαλμάτων ἱκέτις ὁρμαθῶ,
ἢ δούλα δούλας γούνασι προσπέσω;
Φθιάδος ἐκ γᾶς
Κυανόπτερος ὄρνις εἴθ' εἴην, κτἑ.

Electrae 585—595, primorum quinque versuum unus semper est dochmiacus alter anapaesto-logaoedicus dimeter. Hercul. fur. 1206-12. Hippol. 1372. sqq. mutili sunt secundum Kirchhoffium. Iphig. Taur. 884. pentapodia logaoedica suadet ceteros etiam anapaesticos et dactylicos versus eiusdem mensurae esse. Troad. 240—291. inter dochmios anapaesti habent brevem syllabam pro longa aut in initio aut in fine. Helen. 625—694. duo loci videntur contra hanc legem testari. prior est Orest. 1403. sqq. primum a quattuor dimetris anapaesticis transitur ad iambos per versum huius mensurae — ⏒́ — — ⏑ ⏒́ ⏑ — — cyclium sive ischyorrhogicum; 1416. demum dochmiacus est. sed 1433. dimetrum creticum sequuntur octo anapaesti, vel monometer dimeter monometer et hos deinceps dochmii. hos continuos anapaestos esse cyclios et prorsus alienos a dorica legitimorum systematum quiete satis probari videtur trepidatione Phrygis. alter est in Sophoclis Electra v. 225. sqq. Electra habet dimetrum paroemiacum dimetrum monometrum spondiacos totos, tum dochmium — ⏑⏑ — ⏑ — et dimetrum anapaesticum, deinde trochaeos et unum dactylicum versum. 236. duas tetrapodias dactylicas exhibet; sequuntur quinque dimetri anapaestici cum multis spondeis tres dochmios — ⏑⏑ — ⏑ — — ⏑⏑ — ⏑ — — ⏑⏑ — ⏑ — et trochaeos logaoedos iambos. quoniam autem ne apud Sophoclem quidem exstat qui huic legi adversetur locus, non credo hos dochmios esse sed choriambicas quas vocant clausulas. in Aeschyli Pers. vv. 949—972. anapaesticis nullum inesse dochmium contra Dindorfium metr. p. 31. dixerunt Rossb. et Westph. de metr. III. p. 118., quamquam ei etiam videntur cyclii esse.

Sed unus restat locus, qui adversa fronte pugnat contra hanc legem Eurip. Hecub. 176. sqq.

ΠΑΞ. *ἰώ,*
μᾶτερ μᾶτερ, τί βοᾷς; τί νέον
καρύξασ' οἴκων μ' ὥστ' ὄρνιν
θάμβει τῷδ' ἐξέπταξας;
ΕΚ. *οἴμοι τέκνον.*
ΠΑΞ. *τί με δυσφημεῖς; φροίμιά μοι κακά.*
ΕΚ. *αἰαῖ σᾶς ψυχᾶς.*
ΠΑΞ. *ἐξαύδα μὴ κρύψῃς δαρόν.*
δειμαίνω δειμαίνω, μᾶτερ,
τί ποτ' ἀναστένεις.

matris clamore excita Polyxena adproperat ex aedibus. Hecuba roganti, ut aperiat novam quae utrique accidisset calamitatem, opponit maestas voces: o *filia* monometrum anapaesticum et *vae tuae animae* prosodiacum, ut ego dico, catalecticum. respondet filia: *eloquere ne diu me celato; timeo mater, quid tandem ingemas.* itane vero prudens puella? si te timere dixeris, totam rem statim et sine mora matrem credis tecum communicaturam? adeo desipuisse Euripidem mihi quidem persuadebit nemo. adparet hunc versum 185. dochmiacum non solum propter meam legem non esse Euripidis: aut est omnino additicius aut fuit olim anapaesticus monometer in hanc fere sententiam: *κεῖν' ὅτι κρύπτεις: quod me celas ideo timeo, rem ipsam non adeo timebo.* enimvero quid ab Euripide scriptum fuerit nunc vix invenietur, quoniam haec corruptela fuit iam in archetypo illo, quod in editione Kirchhoffius restituere conatus est, ex quo nostri mss. libri tamquam ex fonte manaverunt. prosodiacus est etiam *Πηλείδᾳ γέννᾳ* vel potius *Πηλείᾳ γέννᾳ;* haec enim Schoemanni emendatio, quam proposuit in animadversionibus diorthoticis schol. ind. un. Gryphis. a. 1863. praemissis, certissima mihi videtur. 191. autem et 192. libris monstrantibus sic scribendi sunt

οἴμοι, μᾶτερ, πῶς φθέγγει
ἀμέγαρτα κακῶν;
μάννσόν μοι μάννσον

aut ultimus μάννσον μάννσον μᾶτερ, nam prosodiacus his verbis videtur non convenire.

Quod igitur Fritzschius maximam esse in monodiis et commis Euripideis metrorum varietatem dixit obsecutus Dionysio Halicarnassensi potissimum, cuius haec sunt de compos. verb. c. 19. οἱ δέ γε διθυραμβοποιοὶ καὶ τοὺς τρόπους μετέβαλλον, Δωρίους τε καὶ Φρυγίους καὶ Λυδίους ἐν τῷ αὐτῷ ᾄσματι ποιοῦντες· καὶ τὰς μελῳδίας ἐξήλλαττον, τοτὲ μὲν ἐναρμονίους ποιοῦντες τοτὲ δὲ χρωματικὰς τοτὲ δὲ διατόνους, id verum videtur esse, sed addendum gradus quodammodo sibi invenisse poetam, quibus ascenderet ad concitatiora metra quibusque descenderet, et genus numeri, quod hodie tactum vocant, non ita facile mutatum esse, ut transitus fieri potuerit ab anapaestis quattuor morarum nedum a dorica legitimorum systematum quiete ad trepidationem et singultum dochmiacum.

Mutati numerorum generis exemplum est in Medea vss. 96—212. Medeam dolorem suum coquentem humi iacere dixerat nutrix. iam ipsa certo consilio capto victoque fere dolore incedit verba faciens anapaestis legitimis significans adhuc dorica dialecto et diris precibus furorem quendam. nutrix fabulandi cum paedagogo postquam finem fecit liberos abducens item legitimis anapaestis utitur dorismo abstinens, ut librorum auctoritate plerisque locis innuente recte restituerunt Elmsleius et Dindorfius. chorus mulierum quae adproperant ex vicinis domibns misericordiam suam monstrat transiens ab initio anapaestici systematis h. e. post ternas dipodias anapaesticas in *cyclios* anapaestos et in trochaeos et dactylos quibus haec clausula subiuncta est ⏑ –́ –́ ⏑ — ⏑ — ⏑.

τίς σοί ποτε τᾶς ἀπλάτου
κοίτας ἔρος ὦ ματαία κτἕ.

quod igitur optimi pictores fecerunt nonnumquam, ut calamitatis alicuius vel periculi magnitudinem monstrarent in secundariis potius personis quam eorum oribus qui vel maxime debent commoti esse, idem in his et alias molitus videtur Euripides. mutati numerorum generis et eiusdem artificii alterum exemplum sint Alcest. versus 861. sqq. a tumulo redeuntem Admetum adloqui domum monuit scholiasta. non audere se domum intrare iamque se praedicare sortem mortuorum prodiens dicit legitimo systemate anapaestico. tanto opere continet dolorem regiae dignitatis memor ut ne doricas quidem formas recipiant haec systemata, modo liceat confidere libris mss. paroemiaco autem facto subsistentem et revera cunctantem domum intrare adhortari et consolari conatur chorus:

πρόβα πρόβα· βᾶθι κεῦθος οἴκων.

sed abripitur misericordia et dolore ut vix sibi temperet quin ipse ingemat cum Admeto. hunc enim, ut fit, ipsa consolacio admonet querellarum. iambelegis autem et dorica dialecto postquam concessit chorus summam esse regis calamitatem

τὸ μήποτ᾽ εἰσιδεῖν φιλίας ἀλόχου
πρόσωπον ἄντα λυπρόν,

Admetus collecto paullum animo contra infirmitatem senum et miserationem progreditur exponens altero systemate quanto nunc felicior esset, si numquam uxorem duxisset. antistrophici versus simillimi sunt strophicis; sed aliquanto fortior chorus in fine sermonis multos ait homines miseros esse. itaque Admetus post haec et postquam audivit a choro propositum exemplum hominis gravissimam fortunam, unici filii mortem, aequo animo ferentis, pergit eodem modo sed domum non intrat.

Ad cyclios vero videntur etiam referendae esse quaecunque inveniuntur apud tragicos poetas pentapodiae anapaesticae, ut in Oreste 1363 inter dochmios legitur hic versus:

δακρύοισι γὰρ Ἑλλάδ᾽ ἅπασαν ἔπλησε

catalecticus in brevem syllabam, et in Hercule fur. 1017. dochmiacum dimetrum sequitur pentapodia anapaestica et dactylicus tetrameter catalecticus:

ὁ φόνος ἦν ὃν Ἀργολὶς ἔχει πάτρα
τότε μὲν περισαμότατος καὶ ἄριστος
Ἑλλάδι τῶν Δαναοῦ παιδῶν.

Ion. 1465. *ὅ τε γηγενέτας δόμος οὐκέτι νύκτα*

et alibi: eos omnes anapaestos *ternas* moras continere testantur dimetri quibuscum plerumque coniuncti sunt cyclii, huius mensurae ◡◡ —́ ◡◡ — ◡ —́ ◡́ —. sic in hoc Ionis commo infra leguntur versus:

δεκάτῳ δέ σε μηνὸς ἐν κύκλῳ
κρύφιον ὠδῖν' ἔτεκον Φοίβῳ.

non raro ipsa etiam pentapodia anapaesto-logaoedica est ut in Iphigenia Taurica 884.

πότερον κατὰ χέρσον, οὐχὶ ναΐ.

iambicae etiam mensurae sunt dimetri anapaestici quibus subiunctus est spondeus, quamquam is interdum superat quattuor morarum spatium. eodem autem pertinent, nisi fallor, ischyorrhogici quos God. Hermannus vocavit iambi. cyclius enim anapaestus ita metiendus est 1 ½ 1½ continet *χρόνους βραχύν, βραχέως βραχύτερον, ἄλογον,* irrationalis autem iambus 1½ 1½ aut secundum Aristoxenum 1½ 2, *ἄλογον* et *δίσημον*, ut retardetur aliquantum numeri velocitas. argumento certe et indole ut iambici hi versus simillimi sunt cycliis anapaestis, ita mensura iambi spondeo saepius admisso propius accesserunt ad anapaestos, anapaesti tres moras continentes ad iambos.

Licet igitur tradiderint veteres esse *μέγεθος εἰκοσάσημον* generis sescuplicis numerum, h. e. constare ex dactylis aut anapaestis quinque, ut thesis (secundum antiquam definitionem) contineat tres pedes sive duodecim moras, arsis duos pedes sive moras octo, v. Rossb. Wesstph. l. l. I. p. 63. suppl. p. 161.: anapaestica tamen pentapodia, quae quidem contineret viginti moras, tragici usi esse non videntur. eosdem suspicor abstinuisse tripodia acatalecta praeter cycliam. et priores quidem esse aetate prosodiacos tetrasemos, posteriores cyclios iam dixerunt Rossbach. et Westph. l. l. III. p. 85. 86. omnes vero acatalectas tripodias anapaesticas fuisse *cyclias* testari etiam videntur qui breves prosodiacorum syllabas in longas coalescere negaverunt veteres grammatici: cuius regulae caussam esse docuit Rossbach. in ind. schol. aest. Vratisl. a. 1857. quod in cycliis anapaestis omnino non coalescant breves ideo ne in prosodiacis quidem cycliis spondeum poni pro anapaesto, factum autem hoc esse in tetrasemis. si cyclios anapaestos dicit quicunque eo quem explicavimus modo metiendi sunt, haec videtur falsa opinio esse, concedendum vero aliam celerum cycliorum esse rationem iambis propiorum aliam gravium iamborum anapaestis et spondeis propiorum. et ad illud celerum versuum genus sine dubio referendi sunt prosodiaci sive glyconei in initio habentes anacrusin, qui rarissime admittunt in fine spondeum pro iambo: multo etiam rarior spondeus est pro dactylo, quo facto hi versus naturam fere videbantur amisisse. v. Herm. el. d. m. p. 545. Rossb. et Westph. l. l. p. 493. sqq. in tragicorum certe systematis anapaesticis tetrasemis nullum credo inesse prosodiacum acatalectum praeter proceleusmaticos illos Euripideos, quos alio modo feriri non posse demonstravi eodemque modo metitur Bergkius l. l. et quos hanc ob caussam pausa addita quattuor morarum pares esse crediderim dimetris ◡◡ ◡́◡ ◡◡ ◡́◡ ◡◡ ◡́◡ Λ, ut supra significavi. in Iphigeniae Tauricae versu *ἔτεκεν ἔτρεφεν εὐκταίαν,* *ἂν* ante *εὐκταίαν* inserendum videtur cum Koechlyo. et *οἴμοι φροῦδος γέννα* recte videtur Hermannus mutare in paroemiacum *οἰμοιμοῖ φρ. γ.* his igitur paucis locis uti possis ad probandum tripodiam acatalectam tetrasemam admisisse tragicos poetas. quae vero praeterea adferunt Rossb. et Westph. exempla tripodiarum Pers. 964. sqq. et Iph. Taur. 875. sqq. earum priores pro cycliis iam habuit G. Hermannus el. d. m. p. 417., de posterioribus, quae admixtae sunt dochmiis anapaesto-logaoedis aliis numeris, nemo dubitabit.

Schulnachrichten.

I. Chronik des Gymnasiums.

Das neue Schuljahr begann Donnerstags den 16. April. Wie jedes Jahr nahm auch in dem verflossenen die ganze Anstalt an der kirchlichen Feier sowohl des Busstages als des Himmelfahrtstages und des Missionsfestes, ebenso wie auch an dem bei Gelegenheit der Niederlausitzer Pastoralconferenz abgehaltenen Gottesdienste Theil. Den 10. August begann die schriftliche Abiturientenprüfung. Das mündliche Examen wurde den 4. und 5. Sept. unter dem Vorsitz des Herrn Provinzial-Schulraths Dr. *Tzschirner* abgehalten. Der Schluss des Sommersemesters erfolgte Mittwoch den 30. Sept. Das Wintersemester nahm seinen Anfang Donnerstag den 15. Oct. Die schriftliche Abiturientenprüfung begann den 28. Jan.; die mündliche ist den 3. März unter Vorsitz des Herrn Superintendenten *Ebeling* abgehalten worden. Am 21. März wird die Vorfeier des Geburtstages Sr. Majestät von der Schule durch einen öffentlichen Redeactus begangen werden.

Manche Wünsche und Hoffnungen, welche die Schule seit lange hegt, haben sich immer noch nicht erfüllen wollen. Das Erfreulichste, was aus dem verflossenen Jahre zu berichten ist, habe ich schon im vorigen Programme kurz angedeutet. Es ist dies die Bildung eines neuen Vereins wohlthätiger Männer, der zusammengetreten ist, um tüchtige und bedürftige Schüler während ihrer Schulzeit zu unterstützen. Wenn irgend einem Verein, so ist diesem lebhafte und ununterbrochene Betheiligung zu wünschen, da die Zahl unserer bedürftigen Schüler sehr gross ist, Stipendien für dieselben aber an unserer Schule nicht gegründet sind. Nur was der schon seit langen Jahren segensreich wirkende Gymnasial-Hilfsverein zu spenden hatte, bildete eine von dem Lehrercollegium immer auf das Dankbarste anerkannte Hilfe für manchen strebsamen Schüler unserer Anstalt. Es beläuft sich aber der Betrag der von diesem Verein jährlich zu vertheilenden Unterstützungen nur auf wenig über 60 Thlr., welche Summe, sollte sie nicht allzusehr zersplittert werden, immer nur eine solche Anzahl von Schülern zu unterstützen erlaubte, die in Vergleich mit der grossen Frequenz unserer Anstalt als eine sehr geringe bezeichnet werden muss. Am Schluss des verflossenen Schuljahres erhielten von dem zuletzt genannten Verein 9 Schüler aus Prima, Secunda und Obertertia zusammen 63 Thlr. und zwar die Abiturienten *Wichmann* und *Piper* jeder 10 Thlr.; die Primaner *Geldner, Sternberg* und *Jänicke* je 7 Thlr.; die Secundaner *Bölke, Hartnick* und *Dietrich* je 6 Thlr., der Obertertianer *Wutk* 4 Thlr. Der neugegründete Verein hat es sich namentlich angelegen sein lassen, für bedürftige und würdige Schüler das Schulgeld zu bezahlen, ein um so dankenswertheres Unternehmen, als auch nicht eine einzige Freistelle an unserer Anstalt besteht. Acht Schülern ist diese Wohlthat erwiesen worden; dem einen ward ausserdem noch eine ansehnliche Beihilfe zur Bestreitung der Pension zugesprochen. Die von dem Verein bewilligten Summen werden direct an die Kämmereikasse, resp. an den betreffenden Herrn Pensionshalter bezahlt, um jeden Zweifel an der rechten Verwendung der Unterstützungen zu beseitigen.

Auch bei der an jedem Osterexamen stattfindenden Vertheilung von Bücherprämien hängen wir bei dem Mangel jedes festen Fonds fast ganz von dem Wohlwollen freundlicher Gönner unserer Anstalt ab. Neben Herrn Buchhändler *Heine*, welcher wiederum ein werthvolles historisches Werk der Schule zu diesem Zwecke übersendete, hat der werthe Mann, der schon einmal Schillers Werke der Anstalt geschenkt hatte, auch an vorigem Osterexamen dasselbe Geschenk zu demselben Zweck der Schule gemacht. Unseres wärmsten Dankes mögen beide Herren gewiss sein.

Ausgezeichnet wurden durch Prämien die Primaner *Piper* und *Gurnick*, die Secundaner *Dietrich* und *Hartnick*, der Obertertianer *Jahn*, der Untertertianer *Angermann*, der Quartaner *Kühn*, die Quintaner *Karrass* und *von Schlieben*, der Sextaner *Richter*.

Die Vertheilung der Ferien hat in folgender Weise stattgefunden: Osterferien vom 2. April bis 15. April incl., Pfingstferien vom 23. Mai bis 27. Mai incl., Sommerferien vom 5. Juli bis 1. Aug. incl., Michaelisferien vom 1. Octbr. bis 14. Octbr. incl., Weihnachtsferien vom 23. Dec. bis 5. Januar incl.
